adolescens, cum à ceteris rhetoribus omnibus tenuissimè instructus, tum in hoc genere dicendi peritus videor, dum inter tot Eruditissimos Viros ad dicendum de re divinâ me paulatim compono: à Vobis omnibus ac singulis, Studiosi Honorati, summoperè contendo, ut, quando omne perfugium mihi, ex Amplissimo hoc loco peroranti, in vestrâ benevolentiâ est situm, non tantùm tenuitatem meam vestro favore et silentio sublevetis, quo mea Oratiuncula his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum facilius feliciusque consequatur: sed et, pro aequanimitate vestrâ, si rei dicendae fortè non respondeat dictio, ignoscatis.

Verumenimverò per immortalem DEUM Vos obsecro, quis mecum Mysterium Circumcisionis JESU pueri non rimaretur aequè ac miraretur in ipsius purpurei sanguinis primitiis?! Quandoquidem inter omnes rerum spiritualium peritos constat, nec solùm constat, sed et ab illis firmissimè hoc creditur: aliâ ratione piacula commissa non potuisse expiari, alio modo culpas nostras non potuisse deculpari, nisi largissimâ sanguinis Dominici effusione. Nemo hoc, quod inter Christianos communiter dicitur ac creditur, in dubitationis aleam vocat, nisi peregrinus ac hospes in Christiano Orbe velit audire, nisi velit Christiani nomine indignus censeri. Fuit, fuit verò isthaec primi sanguinis, quem in Circumcisione suâ largiter satis effundere coepit JESULUS infans, profusio necessaria. Necessariam, non contingentem fuisse dico: quia postulabant eam non quidem rigidiores Legum Forensium Canones, non severissima Imperatorum Edicta; sed exactissima divinae justitiae norma ac regula. Necessariam, non contingentem fuisse dico: quia praedixerant eam totidem Sanctorum virorum vaticinia. Praenunciaverat nempe eandem Venerabilis Patriarcha Jacobus, cum fore diceret, ut lavaretur in sanguine uvae Messiae stola: praenunciaverat Veteris Testamenti Evangelista Esaias, cum fore diceret, ut ex Edom Messias, ex Bosra rubris vestimentis idem adventaret. Necessariam tandem,